

www.e-rara.ch

Majestas Hierarchiæ Ecclesiasticæ

Daude, Hadrian

Bambergæ, 1760

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rp 78 | G - Rp 79 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-62668>

Sectio I.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

SECTIO I.

PRIMA HIERARCHIÆ, EJUSQUE CAPITIS INSTITUTIO.

S U M M A.

1. *CHRISTUS Præcipuum, & primum Ecclesiæ Caput
Vipibile fuit,*
2. *Huic è terris ad PATREM ascendenti succedere de-
buit aliquis Vicarius.*
3. *Talis non extitit Magistratus Civilis,*
4. *Nec omnes Apostoli,*
5. *Sed unus, neque alius, nisi Petrus ;*
6. *Qui Pontificium suum omni ex parte implevit.*
7. *Petro successit Episcopus Romanus ;*
8. *Non is, qui substitutus, sed, qui electus fuerat.*
9. *Electio ab Ecclesiæ initiis penes Clerum, & populum
vigeat, diversâ tamen ratione.*
10. *A quarto sæculo ad octavum Imperatores se huic
electioni Pontificum immiscuerunt.*
11. *A sæculo octavo varias quoque vicissitudines electio-
num numeramus ; donec hoc jus ad Cardinalium
Sacrum Collegium omnino devolveretur.*
12. *De Consecratione, vel Coronatione Pontificis, tum
de Ejus Sede quædam commemorantur.*

I. **S**I quando sacris ex paginis felicissima Ecclesiæ
primordia à CHRISTO instituta legimus ; igno-
rare nemo omnium nostrum potest, quisnam pri-
mus ille fuerit, qui novi hujus fidelium cætus gu-
bernavit.

CHRISTUS
PRIMUM
ECCLESIAE
CAPUT.

bernacula prae cæteris susceperit. Cùm enim hic
 (a) Coloss. 2. v. 10. PATRIS Æterni FILIUS Idem sit, qui dicitur *Caput*
 (b) Rom. 8. v. 29. *omnis Principatus, & Potestatis* (a), *Primogenitus ex*
 (c) 1. Petri. 5. v. 4. *multis fratribus* (b), *Princeps Pastorum* (c), *qui habet*
 (d) Apoc. 1. v. 18. *claves mortis & inferni* (d), *Pontifex factus in æter-*
 (e) Hebr. 6. v. 20. *num* (e); nefas foret, quamdiu *in terris visus, &*
 (f) Baruch, 3. v. 38. *cum hominibus conversatus est* (f), Ei aliud caput an-

tehabere, aut surrogare.
 II. Sed, ex quo, *Redemptione inventa*, jam decre-
 verat Servator noster *introire in Sancta* (g), sive in
 CHRISTI perpetuum gloriæ suæ Sanctuarium, in cujus atriis
 VICARIUS. constituta adhucdum militans Ecclesia ædificatur in
 (g) Hebr. 9. v. 12. dies, ut civitas, ac disponitur velut *castrorum acies*
 (h) Cant. 6. v. 3. *ordinata* (h), indiga (i) *ministerii ad consummationem*
 (i) Ephes. 4. v. 12. *Sanctorum*; alium Principi Capiti, supra sensuum
 nostrorum imbecillitatem nunc exaltato, substituere
 oportuit, qui vicariâ potestate *Regnum* illud mode-
 raretur, quod *in æternum non dissipabitur* (k), sed
 (k) Daniel. 2. v. 44. omnibus inferorum portis excelsius, ad ultima mun-

di tempora consistet. Et, quanquam non diffidamus
 pollicitationi à CHRISTO factæ, quâ tum interna-
 rum suggestionem virium, tum cœlestis lucis affusione
 se nobis continuò præsentem fore confirmavit; plus
 tamen humanæ naturæ ratio exigere videbatur, nem-
 pe, ut ejus, qui nobis præesset, & leges ferentis vo-
 cem audire, & judicantis, sive definientis sententiam
 percipere possemus. Utantur sanè suâ felicitate cœ-
 lestes Spiritus, illamque legem æternam jubentem
 sinè syllabis, ac strepitu, fixam semper & con-
 stantem intueantur; nostra mens, utpote mortalium,
 ad rerum supernarum materiæ expertium imitatio-

(l) Dionys.
 c. 5. Eccles.
 Hier.

nem, contemplationemque (l) excitari nequit, nisi
 rerum

rerum corporearum sibi notarum præsidio utatur : quare nunquam erit , ut eam in opinionem adducamur , DEUM nobis , nostræque adultæ jam Ecclesiæ minùs , ac rebus naturalibus , ordini politico , aut Synagogæ prospicere voluisse. Sive enim tot causas creatas rerum effectrices præter DEUM in terris aspicias , sive tot Dynastas , & Principes , orbis Rectores , præter Increatum illum Universi Gubernatorem numeres , sive demum in Synagoga tot aspectabiles præfides , ac perceptibiles voluntatis Divinæ internuntios percenseas ; nihil non ubique debilitati nostræ indultum reperies ; quid ? quòd hæc ipsa providi Numinis dispositio nequidem nascentis Ecclesiæ initiis defuit , quando Æternus DEI FILIUS , in Sinu PATRIS supra humanæ intelligentiæ vim omnem positus , antè , dein carnem indutus , Pontifex is factus est , qui & compati infirmitatibus nostris , & cujus Legislatoris vultum , & ora videre , tum Doctoris , ac Ducis momentis , increpantis , ac definientis vocem audire novelli greges possent. Itaque primum Ecclesiæ Caput apparuit ut homo , cùm Senatum Apostolicum legeret , errantes ad viam veritatis reduceret , caliginem de sensu Scripturarum discuteret , totùmque Pontificatûs sui munus ità nobis mortalibus accommodaret , ut cœlestia & sublimia mysteria corporeis signis convestiret. Quis igitur nunc credat alium ac diversum gubernationis modum Ecclesiæ præscriptum esse ? Certè nemo omnium , nisi , qui secum statuerit , homines jam in Angelicas substantias transiisse , aut DEUM his temporibus minorem fidelium curam habere voluisse , quorum primum rationi , alterum CHRISTI in suos amoris adversatur.

VICARIA
POTESTAS
NON EST
DATA MA-
GISTRATUI
CIVILI.

(m) Petrus
de Marca, de
Concord. Sa-
cerd. & Im-
perii lib. 2.
c. 1.

III. Sin porrò nunc inquirere lubet, cui veluti Vicario CHRISTUS suas gubernandi, & Ecclesiæ præsidendi vices demandârit? in complures incidemus, qui Pontificiam potestatem politico tribunali, ac magistratui insertam, conjunctamque velint: nobis verò cum tota Antiquitate persuasum fuit (m), magnis & diffitis spatiis duo rempublicam regendi, gregemque CHRISTI pascendi negotia distincta fuisse. Gladium Justitiæ equidem Principibus, utpote Imperii arbitris, à DEO commissum novimus, ut criminum reos plectant, sustinendis provinciis pares subjiciant humeros, tranquillitatem publicam alant, & legum ministerio, armisque, siquidem ita opus foret, Ecclesiam Advocati armati protegant, atque defendant: ut autem ad altiorem finem beatitudinis deducant populum, contingant Sanctuarium, in clavem scientiæ, ac sacrum thuribulum involent, controversiarum fidei diribitores sint; id enimverò Principibus à Sacerdotio sejunctissimis, nec à DEO vocatis concessum esse, omnes ii mecum pernegabunt, qui Ambrosium audiverint dicentem (n): *Imperator bonus est intra, non supra Ecclesiam*, quique ex effato Doctoris Gentium perdidicerint, Ecclesiam nec super Tiberium Augustum, nec super Herodem Regem, sed super (o) Ephes. 2. Apostolos (o) ædificatam fuisse.

(n) Ambros.
ad pop. con-
tra Auxan-
tium.

(o) Ephes. 2.
v. 20.

NON OM-
NES APO-
STOLI à
CHRISTO
ACCEPE-
RUNT PRI-
MATUM.

IV. Dum verò Apostolos *fundamenta* Ecclesiarum nominamus, cogitare noli, hæc eò à nobis dici, quasi duodecim Præsides, ac Capita CHRISTUS sibi constituisset: numerus ejusmodi etsi ædificio sustinendo par, satisque firmus videri possit; multitudine tamen suâ laborabit, nisi unum sit fundamentum, in quo veluti centro reliqua conjungantur. Ubi uni-

tas,

tas (p), ibi perfectio; reliqui numeri perfectionem non habent, sed divisionem: quid verò à Regno Ecclesiæ divisio expectes, nisi desolationem, aut quid à domo variis angularibus lapidibus potius distractâ, quàm substructâ petas, nisi ruinam? dum unus se Pauli, alter Apollo jactaret: aut certè eadem nobis redirent tempora, quæ olim fuerant, *cùm non esset Rex in Israël, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc* (q) faciebat. Itaque unus ex duodecim duntaxat eligi debuit (r), ut Capite constituto schismatis & divisionis tolleretur occasio. Atque, ut in ordine naturali innumerabiles radii ad unum solem, in corpore membra ad unum caput, & in optimè constituta Republica complures gentes ad unum duntaxat Monarcham respiciunt; ità necesse est, teste S. Cypriano, ut fideles ad Hierarcham unum pertineant; imò confirmat is, *unum DEUM* esse, & *unum CHRISTUM* Dominum, & *unum SPIRITUM* Sanctum, ac *unum Episcopum in Ecclesia* Catholica esse debere (s), qui diffidia uno concordiae vinculo componat, doctrinâ eâdem, iisdemque institutis efformet populum, unâ sententiâ dirimat controversias, pabulôque uno nutriet oves, ac pascat.

V. Hunc Apostolum nunc tantò certius dignoscemus, quantò pluribus indiciis CHRISTUS Vicarium suum manifestum esse voluit. Quis enim nostrum est, qui, cùm legit, soli PETRO à Servatore nostro mutatum fuisse nomen (t), aut hunc ipsum *Primum* ab Evangelii sacri Scriptoribus vocari (u), pro hoc Divinum Magistrum præcipuè orâsse (x), didrachma pro eo unico solvisse (y), eique stabilitatem in fide promississe, quis, inquam, est, qui ex his non discrimen

(p) Bernard.
lib. 3. de con-
fid. c. 8.

(q) Judic. 11.
v. 24.
(r) Hiero-
nym. lib. 1.
in Jovin. c. 14.

(s) Lib. 1.
cp. 8.

SOLUS PE-
TRUS
CHRISTI
VICARIUS.

(t) Joannis
1. v. 41.

(u) Matth.
10. v. 2.

(x) Luc. 22. v.

11.
(y) Matth.
17. v. 26.

(z) Matth.
16. v. 18.

à cæteris Apostolis, ac supra reliquos prærogativam concipiat? Clariùs Vicaria potestas Petri patuit, quando CHRISTUS apertis verbis se supra Petrum ædificaturum Ecclesiam constituit (z): posteaquam enim Petrus CHRISTO interroganti, quid de se crederet, loco omnium respondit: *Tu es CHRISTUS, Filius DEI Vivi*, Divinus iste ac primus Ecclesiæ Hierarcha, celebrans fidem ejus, reposuit: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est: & ego dico tibi, quia tu es Petrus* (sive Petra, hoc quippe in lingua Syro - Hebræa, quâ CHRISTUS utebatur, significat Cephass,) *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Si sensum verborum istorum proprium, & quodammodo necessarium sequi propositum nobis est, totam pollicitationem ad personam Petri referamus, necesse est: cum enim CHRISTUS non obscure alludat ad nomen *Cephass*, quod Simoni dederat, & quod Petram significat, hanc in sententiam profatus fuisse censendus est: *Tu dixisti, quòd ego sim Filius DEI, ego autem nomen tibi imposui Cephass, hoc est, Petra, &, ut scias, quare hâc ratione nomen tibi immutaverim, dico tibi, quòd ideo fecerim, quia super te, velut Cephass, & Petram, ædificabo Ecclesiam meam.* Hæc cum aperta sint, tunc veritati clarissimæ plùs lucis affudit autoritas SS. Patrum, qui ante Synodum Nicææ celebratam illa CHRISTI verba nonnisi de persona Petri intellexerunt (*). Quanquam post tempora Concilii Nicæni Patres

(*) TERTULL. lib. de præscriptione c. 22. & lib. de Monogam. c. 1.
ORIGENES hom. 3. in Exod. & in epist. ad Rom. c. 6. CYPRIANUS

Patres quosdam fuisse non negemus, qui ad infringendam Arii impietatem verba ejusmodi exposuerint de confessione Petri, quâ Christum professus fuerat Filium DEI Vivi; nec diffitemur, Augustinum in illum sensum inclinasse, quo per Petram CHRISTUS, quem Petrus confessus erat, explicetur (*). Verum, præterquam, quod plerique ex his PP. alibi quoque Ecclesiam super Petrum fundatam insinuent, facile erit, eorum sensus unâ ac integrâ expositione conciliare, scilicet, si dicatur ædificium Ecclesiæ fundatum esse in Petro credente, & confitente, JESUM esse Christum, Filium DEI Vivi, aded ut hæc interpretatio comprehendat fidem Divinitatis CHRISTI, & con-

NUS lib. de unitate Ecclesiæ. Vide quoque GAULTERIUM in tabulis Chronographicis, Veritate XI, de Primatu S. Petri, ac Romanæ Ecclesiæ.

(*) AUGUSTINUS Retractionum lib. 1. c. 21. ait: *dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo, tanquam Petra, fundata sit Ecclesia. . . sed scio, me sapissimè postea sic exposuisse, quod à Domino dictum est: Tu es Petrus. . . ut super hanc intelligeretur, quam confessus est Petrus, dicens: Tu es Christus, Filius DEI vivi, ac si Petrus ab hac Petrà appellatus personam Ecclesia figuraret. . .* Harum autem duarum sententiarum qua sit probabilior, eligat lector. Notat hic BARONIUS ad annum Christi 31. n. 24. AUGUSTINUM nil definivisse, quod Syriacam vocem haud fuerit, ipse Africanus, assecutus, quæ propriè Petram ipsam significat; quam Latinus interpret è Græco πέτρος, quod est Petra, Petrum transtulit. Sed idem S. AUGUSTINUS in sermone de Cathedra Petri ipsam Petrum Petram dictum esse, manifestè proficitur: denique pro soliditate devotionis Ecclesiarum Petra dicitur, sicut ait Dominus: *tu es Petrus. . .* Petra enim dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molimque contineat: Petra ergo pro devotione Petrus dicitur, & Petra pro virtute Dominus nuncupatur, sicut ait Apostolus: *bibebant de spirituali, consequente eos Petrà; Petra autem eras Christus. Rectè consortium meretur Nominis qui consortium meretur & operis: Petrus fundamentum ponit, Petrus plantat, Dominus incrementum dat, Dominus irriguum subministrat.* Eadem dicit serm. 16, de SS.

confessionem hujus fidei, & confitentem personam
 Petri. Cùm enim Ecclesiæ, veluti cœtûs fidelium,
 DEUS Incarnatus præcipuum sit objectum, ac pro-
 inde etiam fundamentum, quod maximè fides am-
 plectitur; nemo dubitare poterit Ecclesiam, quæ non
 tantùm credit animo, sed & ore Christum DEUM
 profitetur, hâc ratione in confessione Divinitatis Chri-
 sti verè fundari: denique, quia fides propagatur per
 opus Ministerii, utique ordinatum, quôdque vel
 ideo ab uno incipit, & ad unum reducit, satis cau-
 sâ est, cur Petrum ob præclaram istam confessio-
 nem Fundamentum Ministerii constitutum dicamus,
 quôdque acceperit authoritatem, & inspectionem
 super omnes Ministros, Ipsi, tanquam Capiti, & Ver-
 tici subordinatos. Atque ut singulare aliquid Petro
 præcæteris concessum esse denuò agnoscas, ea, quæ
 prioribus verbis CHRISTUS subjecit, animo expende:
*Et Tibi dabo claves Regni cœlorum; quicquid ligaveris
 super terram, erit ligatum Et in cœlis, Et quicquid sol-
 veris super terram, erit solutum Et in cœlis.* More
 gentium receptum est, ut, cui claves domûs, vel
 urbis traduntur, eidem & possessio domûs, & urbis
 consignetur, & is porrò Paterfamilias, ac Guberna-
 tor habeatur, qui jus clavium, non tantùm usum
 habet: quidni igitur Petro sacram quoque, eamque
 summam potestatem cum clavibus demandatam di-
 xero propterea? quòd jam olim, teste Prophetâ (aa),
 per ejusmodi instrumenta Præfectura Ecclesiæ signi-
 ficata sit, dum DEUS Eliacim, filio Helciæ, in locum
 Summi Sacerdotis surrogato, potestatis Insigne, Cla-
 vem, pollicitus est: *Et dabo clavem Domûs David su-
 per bumerum ejus, Et aperiet, Et non erit, qui claudat,*
 Et

(aa) Isaiaë
 22. V. 22.

& claudet, & non erit, qui aperiat. Jus istud itaque
 Clavium DOMINUS soli Petro ita concessit, ut, licet
 singulari munere reliquos Apostolos Petro pares esse
 voluerit (legationis officio, potestate solvendi, ac re-
 tinendi, docendi, baptizandi, Sacram Hostiam offe-
 rendi, controversias in foro poli cognoscendi, my-
 steria dispensandi, Episcopos, Presbyterosque con-
 stituendi); Eorum tamen Principem Petrum esse jusse-
 rit, Inspectorem, ac Fundamentum unitatis (ut Pa-
 tres loquuntur) in cuius, utpote primi Pastoris, per-
 sona Ecclesiæ Claves datæ fuissent, quem non in com-
 muni, ut reliquos Apostolos, sed verbis aliis, atque
 amplioribus, & Solum quidem, collatis Clavibus, cælo-
 rum, non cæli, non provinciæ, non partis, sed totius Do-
 mûs Gubernatorem posuisset, qui tam doctrinâ, quàm
 providentiâ, dispensatione, & reliquis pastoralibus
 muniis, quidquid in iudicio, vel extra subselliâ fo-
 ret, solus id, tanquam Janitor cælorum, præstaret; ut
 proinde ad Eum, veluti centrum, cætera omnia refer-
 rentur, nec quisquam, nisi in virtute hujus commu-
 nionis, ministerium suum exercere posset, sinè qua
 communione nullus erit in unione cum CHRISTO,
 ejus Institutore, ac Fundatore; neque vel ideo in Ec-
 clesia, CHRISTI Corpore. Hierarchicam hanc coor-
 dinationem S. Leo paucis quàm optimè complexus est,
 dum ait (bb): *De toto mundo unus eligitur PETRUS,*
qui & universarum Gentium vocationi, & omnibus Apo-
stolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponitur, ut, quam-
vis in populo DEI multi Sacerdotes sint, multique Pasto-
res, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter
regit CHRISTUS. Sed, ne Pontificem pro domo sua
 locutum esse facundiùs, existimemus, verba illa consi-
 derare

(bb) Serm.
 de Sui in
 Pontifica-
 tum Assumpt.

(cc) Joan.
 1. v. 15. seq.

derare postremum juvat, quæ DEUS - HOMO opere ipso explevit, quæ Divino oraculo antea duntaxat promiserat. Erat JESUS cum Discipulis ad mare Galilææ, *cumque prandissent*, conversus ad Petrum (cc) *dixit: Simon Joannis! diligis me plus his? dicit ei: etiam, Domine! tu scis, quia amo te; dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis! diligis me? ait illi: etiam, Domine! tu scis, quia amo te; dicit ei: Pasce agnos meos... pasce oves meas.* Ex quo quidem palam concludendum id accipimus, Petrum scilicet tantò plus à CHRISTO habuisse potestatis, quantò plus amoris Divinus Magister ab eo exegerat, ut merito majori majus præmium responderet. Quod tum ex naturali verborum sensu, tum maxime ex doctrina Patrum primorum, ac Conciliorum pronunciare audeamus, qui tam honorificis nominibus Petrum super cæteros Apostolos extulerunt, ut, si vel obstiteris, vel Primatum Petro negare audeas, his primis nascentis Ecclesiæ sæculis labem erroris affricare non perhorrescas. Ex multis paucos adjicio: Primum quidem è Sæc. II. Testem summæ fidei, S. Irenæum, Lugdun. Ecclesiæ Præsulem, à quo (dd) PETRUS illius Ecclesiæ dictus est *Fundator*, ad quam propter potentiorē *principalitatem* necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique, fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, *traditio*. Alterum è III. S. Cyprianum, Afrum, qui *Primatum Petro datum* disertè (ee) enuntiat, Petrum *Unitatis Ecclesiæ* Caput, Fontem, ac *Radicem* appellat; & è IV. S. Cyrillum, Hierosolymitanæ Ecclesiæ Antistitem, à quo (ff) *Principis Apostolorum* titulo celebratus; & Constantinopolitanæ S. Chry-

(dd) Lib. 3.
 adv. Hær.
 c. 3.

(ee) Lib. de
 Unit. Eccl.
 Num. 14. 18.
 20.

(ff) Catech.
 2. Illumin.

Chrysostomum, à quo (gg) *Ecclesiæ futura Pastor, Caput, Vertex omnium* Constitutus dicebatur. Et quoniam Augustinus aliàs Adversariis favere visus est, ejus verba, quæ in sæculo V. scripsit, coronidis loco subjungemus: *Apostolus Petrus*, inquit (hh), *in quo Primatus Apostolorum tam excellenti gratiâ præminet & alibi, totius ait* (ii), *corporis morbum in ipso Capite curat Ecclesiæ*, (cùm Christus ei peccatum remitteret, & in ipso *Vertice componit membrorum omnium sanitatem* (*). Ex quibus id conficimus, vel prima Ecclesiæ initia erroribus labefactata, vel Petri Hierarchæ prærogativam semper satis comprobata fuisse.

(gg) Homil. 55. in Matth.

(hh) Lib. 2. de Bapt. c. 1. (ii) Serm. 124. de Temp.

VI. Petrum à CHRISTO constitutum suæ Ecclesiæ Hierarcham vidimus. Nunc, quâ ratione id muneri impleverit, recenseamus. Post Spiritûs Sancti in Apostolos illapsum ipse, ut sacri Coetûs Caput, primus Evangelium tanto ardore promulgavit (kk), ut *tria circiter hominum millia* ad fidem adduxerit; quam ubi primus publico prodigio confirmasset (ll), non tantum hanc Judæis, sed & Gentibus (mm), utpote communis omnium Pontifex, annuntian-

PETRI
PONTIFI-
CATUS.

(kk) Act. 2. v. 41.

(ll) Act. 3. v. 6. (mm) Act. 10. v. 34.

D 2

(*) Consule GAULTERIUM, qui in lib. suprâ cit. idem commonstrat per singulorum seculorum seriem ex PP. & Conc. Quæis VINCENTI LIRINENSIS monitum subjungimus, quod in sæc. V. scripsit Com-
monitorii ad versus hæreses c. 3. Ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim verè, proprièque Catholice, quod ipsa vis nominis, ratiòque declarat, quæ omnia verè universatè comprehendit. Istud autem ità demum fiet, si sequamur universitatem hoc modo: si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum constitetur Ecclesia: Antiquitatem verò ità, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos Sanctos Majores, ac Patres nostros celebrasse, manifestum est: Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel pene certè omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones, sententiæque scilicet.

(nn) Act.
§. V. 1.

tiandam putavit, Judiciariam potestatem, quam cum Clavibus acceperat, adversus Ananiam & Saphiram exercuit (nn), traductoque in Judæa quinquennio, Antiochiam in primariam Orientis urbem discessit (*), Ecclesiam primam Patriarchalem ibidem erecturus. Septem anni fuere, quæis tam numerosum gregem sacer Antistes coluit; sed, quamprimum rescitum est, Simonem Magum, quem tanquam sacrilegum ab Ecclesia paulò antè rescuerat, Romæ, Latinoque agro nefarias artes suas intulisse, Petrus, Evodio Antiochenæ Ecclesiæ præesse jussu, in Italiam properavit (**) anno secundo Claudii impera-

(*) Rationes, cur Antiochiam Petrus sibi præ cæteris urbibus elegerit, variæ afferri possunt: Prima eruitur ex S. HIERONYMI libro contra Joannem Hierosolymit. §. 37. Tom. 2. pag. 447. ubi ait, *Palæstina Metropolim Casaream esse, & totius Orientis Antiochiam*: ac vel ideo ex hac Orientis Metropoli facilius propagari poterat Verbum DEI in circumjacentes regiones. Alteram dat INNOCENTIUS I. epist. 18. §. 1. *aquum erat, ut ea, quæ nomine Christianorum ante universum orbem terrarum ornata fuit (nam primum Antiochiæ Christiani dicti sunt Discipuli) primum Apostolorum Pastorem acciperet; sed cum eum Doctorem accepisset, non in perpetuum retinuit, sed Regiæ Civitatis Roma illum concessit.* Terciam causam subjungit CASPAR SANCTIUS Tract. 1. de Prædicatione S. Jacobi in Hispania c. 11. *Cathedra Petri Catholica erat, id est, Universalis, quæ neminem excludit, & ideo videri potest ibi (Antiochiæ) à Petro Cathedra primum erecta, licet alibi esset Ecclesia ex Judæis congregata; nam Hierosolymitana necdum judicari poterat Universalis, quia nondum gentes admiserat &c.* Memoria hujus Cathedræ designatur in antiquis Martyrologiis HIERONYMI, USUARDI, ADONIS.

(**) S. PETRUM in Antiochena Cathedra septennium, quamvis non integrum, explevisse testatur EUSEBIUS in Chronico apud BARONIUM ad annum 39. §. 21. & 25. Item liber Pontificalis in Vita S. PETRI ait: *Primus sedet Cathedram Episcopalem in Antiochia annis septem.* Obstitit tamen huic sententiæ ONUPHRIUS PANVINIUS, docendo, Petrum post Romanum iter Antiochiæ, non autem septem annis, sedisse: pariter implicata satis inter Chronologos controversia est, quo anno Petrus Romanam Cathedram fundarit? OROSIVS

peratoris, tum, ut maximus Ecclesiæ Dux pugnam contra perniciosissimum hostem sustineret; tum, ut Romæ Ecclesiæ illius fundamenta jaceret, quæ omnium Mater, magistra, & centrum unitatis esset exitura: ex eadem orbis Metropoli (Babylonem vocat ob falsarum Religionum colluviem (*) primam epistolam, omnium dein Decretalium Prototypum, fidelibus per quinque Asiæ Provincias dispersis perscripsit: nulla verò Pontificii muneris ratio est, quam his in literis non exprefferit; quippe, ut Summus Ecclesiæ Princeps, Dignitatem & Majestatem hujus congregationis commendat: *Vos autem Genus electum, Regale Sacerdotium*; cum CHRISTI Corpori conjuncti, qui simul Rex est, & Sacerdos, offerant spirituales hostias, DEO per CHRISTUM acceptas, ut cœleste Re-

D 3

gnum

lib. 7. c. 6. id factum statuit sub Claudii initium; EUSEBIUS in Chronico, S. Hieronymus de Viris Illustribus c. 1. anno secundo Claudii; unde etiam stabilitur illa opinio recepta, Petrum 25. annis Romæ sedisse, quæ vel ex hoc capite assentitur HENSCHENIUS, PAPEBROCHIUS in *Conatu Historico* probat, anno quinquagesimo à Petro constitutam Romæ Cathedram, quam proinde juxta eundem tantum 15. annis tenuit. Vide *Dissertationem II. de Sede S. PETRI Antiochenâ, & Romanâ in Conatu Histor.* Hæc incertitudo annorum tamen non facit, ut Petrum Romæ fuisse negemus. Sic enim de anno Christi Natali, Baptismi, & Passionis Ejus apud Chronologos magna lis est, quin natum Christum, baptizatum, & passum audeas diffiteri.

(*) Per *Babylonem* Romanam intelligi, asserit Papias, Joannis auditor, Polycarpi autem contubernalis, *vetus homo*, apud EUSEBIUM lib. 2. Hist. Eccl. c. 15. Præterea Babylonis vocabulo JOANNES Apocalyp. c. 17. Romam designat, interprete TERTULLIANO adversus Judæos c. 9. & AUGUSTINO lib. 18. de Civ. DEI c. 21. Neque enim dici potest, quod Babylonem *Chaldaeorum* PETRUS hic significet; cum inde omnes Judæos Caji Augusti ævo ejectos, vel deletos fuisse testetur JOSEPHUS lib. 18. antiquit. Judaic. c. 9. nec de Babylone *Ægypti* hic sermo esse potuit ob loci obscuritatem, ubi ante JUSTINUM Junio rem nunquam Episcoporum quisquam legitur sedisse. Vide *Dissertationem AUGUSTINI CALMET*, Epistolis Canonicis præfixam, de Itinere Romano S. PETRI, quæ digna est, ut hic legatur

gnumâ iis destinatum consequantur : Patrem se omnium ostendit, & Principem Pastorum, dum singulis ordinum, ac ætatum gradibus, & præcipuè Præsulibus certum vitæ ac docendi institutum distavit: *Pascite, qui in vobis est, Gregem DEI, providentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum : neque turpis lucrigratiâ, sed voluntariè, neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Per idem tempus à Marco discipulo Romæ breve Evangelium scribi voluit, quod suâ autoritate Ecclesiæ legendum dedit. (*) Subinde memor Petrus præcepti Domini, quo jusserat doctrinam Fidei annunciari in universo mundo, plures è discipulis suis delegit, qui in diversis Occidentis provinciis novas & sacras erigerent colonias (**). Romæ tamen in ipsa Italiæ luce fidei splendor

(*) An S. Marcus, Petri discipulus, & interpres, latinè aut græcè scripserit, incertum est. Plerique post Hieronymum & Augustinum volunt ea, quæ audierat à Petro, consignâsse literis græcis : hujus Evangelii autographum se habere gloriatur Serenissima Venetorum Respublica. Dn MESNIL, lib. 2. Hist. Eccl. Eccl. §. 38.

(**) Missionis hujus apertum testimonium habemus ex INNOCENTIO I. Epistolâ 1. ad Decent. *Quis nesciat, inquit, aut non advertat, id, quod à Principe Apostolorum Petro Romana Ecclesia traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde videatur accipere exemplum; præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam & Siciliam, insulasque interjacentes nullum hominem instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus Successores constituerunt, Sacerdotes. Id, quod addit, nullum alium Apostolum prædicâsse in his provinciis, sic debet intelligi, quodd fundaverit Ecclesias, quarum successiones perseverarunt. Hinc Occidens pertinet ad Patriarchatum Romanæ Ecclesiæ. BZOVIVS de Romano Pontifice cap. 33. ejusmodi missos à Petro Episcopos recenset, dum ait, præpositum fuisse Siculis Paneratum, Marcianum, Beryllum, & Philippum : Capuanis Priscum : Neapolitanis Asyrenatem : Tarracinesibus Epaphroditum : Equiculis Marium : Nepetibus Ptolemaum : Fesulanis Romulum : Lucensibus Pau-*
linum:

dor nonnihil obscurari visus est, quando gens Judaica in novellum gregem tam acerbè undique pugnabat, ut Cæsar anno Imperii sui nono (ne res ad publicam seditionem serperet) tum Mosaicæ legi ad dictos, tum CHRISTI cultores Judæorum stirpe oriundos urbe exegerit. Petrus itaque, deserto Latio, Antiochiam denuò appulsus pastoralis curâ, & officio gregem Christi complexus est; primò quidem, neglecto legis ritu, cum Gentibus convescebatur, dein Judæorum, quos Jacobus, Solymæ Episcopus, Antiochiam miserat, offensam veritus, à mensis Profelytorum sibi abstinendum decrevit: Paulus (oo) utri-
 que populo consultum volens, Petrum palàm reprehendit: *In faciem, inquit, ei restiti, quia reprebensibilis erat. . . . cum vidissem, quòd non rectè ambulant ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: si tu, cum Judeus sis, Gentiliter vivis, & non Judaicè, quomodo*

(oo) Galat. 2.
 v. 14.

linum: Ravennatibus Appollinarem: Veronensibus Euprepium: Patavinis Prodocimum: Ticinensibus Syrum: Aquilegiensibus Hermagoram: Mediolanensibus Barnabam: Lemovicensibus, Tolosanis, & Burdigalensibus Martialem: Tungrensibus, Colonensibus, & Trevirensibus Maternum, nec non Valerium: Remensibus Sixtum: Arelatensibus Trophimum: Senonensibus Sabitianum: Cenomanensibus Julianum: Viennensibus, & Moguntinis Crescentem: Catalaunis Nemmium: Bituricensibus Ursinum: Arvernensibus Austremonium: Sanctonensibus Eutropium: Germanis Eucharium, Egisium, & Mercianum: Hispanis Torquatum, Cresiphontem, Hesygium &c. Britannis (quò ipsa etiam penetraverat) Iosephum ab Arimathæa: . . . unde Cyprianus Afer Matricem omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam esse assererebat. DUMESNILIUS ad annum 45. l. 2. advertit, non levem errorem eà in re irreplisè, dum pleræque Ecclesiæ ad Petri tempora referunt sua primordia, vel, quia primi earum Episcopi in fastis à Petro missi leguntur (constat autem, sequentibus sæculis sic appellatos ab Apostolica Sede delegatos,) vel quia erant cognomines primis ejus discipulis, quos ideo in Patres sibi malè adscribunt.

(pp) August.
ep. 19. quæ est
ad Hieron.

(qq) Epi-
phan. ad hæ-
ser. 28.

modo Gentes cogis exemplo tuo judaizare? ()* Si verum scripsit Paulus, (ut nemini Christiano dubium esse potest) fateri necesse est, Petrum minùs rectè ad Evangelii normam ingressum fuisse; quod quidem non doctrinæ, sed conversationis vitium Sacer Pontifex correxit, dum reprehensus suo silentio ostendit, fideles Legalium observatione non teneri, atque sinè illis eos salvos esse posse: *Laus itaque est justæ libertatis in Paulo* (verba sunt (pp) Hipponensium Præsulis) *& sanctæ humilitatis in Petro, qui rarius & sanctius demissionis exemplum posteris præbuit*, quò non dedignarentur (sicubi fortè recti tramitem reliquissent) etiam à posterioribus corrigi. Inter Summi Ecclesiæ Præsidis munera non postremum est, præesse Conciliis: hoc quoque præstitit Hierarcha noster; nam, cùm Judæi quidam Christiani, sed Mosaicæ legis tenaciores, authore Cerintho (qq) quæstionem de Legalium observatione retractarent, doceréntque, neminem

(*) PORPHYRIUS Christianorum hostis internecinus fidelibus objiciebat, Paulum tam temerarium fuisse, ut reprehenderet Petrum, Apostorum Principem, ut testatur HIERONYMUS epistolâ 89. Quare quidam authores alium confingunt de vili plebe PETRUM, quem à PAULO reprehensum esse dicunt, ut hoc modo Ethnicis convitio occurrant. Sed, si alius distinctus à Petro CEPHAS à Paulo objurgatus fuisset, is certè BARNABAM in eandem simulationem non adduxisset, & quia Paulus addit, se in faciem restitisse, ostendit quidem, se PETRUM dignitate majorem agnovisse, non tamen ex altiore ratione hanc dignitatem se reveritum esse. Alii HIERONYMUM pro se allegant, quem scripsisse ferunt, non eundem Cepham, sed unum ex septem Discipulis fuisse; idem asserere videtur S. ANSELMUS in epist. ad Galatas, Proferunt enim verò hi authores aliorum erroneam potius sententiam, quam suam: ad quid enim aliàs HIERONYMUS eum AUGUSTINO de explicatione hujus reprehensionis factâ disceptasset? Commentaria autem in Epist. Pauli, quæ ANSELMUS nomine circumferuntur, à BELLARMINO & HERVÆO Natali Britanno tribuuntur, qui vivebat anno 1325.

minem, nisi circumcisum, posse salvari, contentio tota ad commune Apostolorum Concilium delata est; itaque Paulus & Barnabas cum Tito & aliis profecti Hierosolymam anno 17. à conversione Sauli, ut ipse scribit (rr), cujus rei causâ venerint, exponunt. Apostolis congregatis, Petrus jure Primatûs dixit sententiam, ostenditque exemplo Cornelii, qui citra circumcisionem susceptam Spiritu Sancto donatus fuerat, Judæos & Gentiles justificari fide, quæ per charitatem operatur, ac proinde jugo legis eximi: Paulus & Barnabas ejus verba confirmant, narrantes, quanta DEUS fecisset signa & prodigia in Gentibus per eos; Jacobus illis assensus (ss), utpote Episcopus Hierosolymitanus, concludit: *Propter quod ego iudico, non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad DEUM, sed scribere ad eos, ut abstineant se à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine.* (*) Atque hæc est prima illa Synodus anno Christi 52. celebrata, quæ omnium subsequen-

(rr) Ad Galat. 2. v. 2.

(ss) Actor. 15. v. 19.

E

tium

(*) Concilii decretum spectat solos fideles è Gentilitate conversos, quibus tunc hæc interdicit, 1^{mo} fornicationem; nam solum adulterium vetabatur Romanis legibus, imò Corinthi, & in aliis urbibus plurimæ meretrices publicè erant Veneri consecratæ: 2^{do} esum carniū idolis immolatarum: 3^{io} suffocatum & sanguinem; hujus usum tempore legis naturæ prohibueret DEUS in signum supremi sui dominii, quò declararet, omnium vitam esse sui juris. Excepta fornicatione (quæ jure naturali & Divino prohibetur), non erat mens Synodi, perpetuò Ecclesiam his legibus adstringere, sed ad tempus, nimirum ad vitandam offensionem Judæorum; & ut cum honore Synagoga sepeliretur. Ea lex etiam nunc à Græcis observatur: undecimo sæculo vigeat in multis Ecclesiis Occidentalibus, ut apertè testantur Humbertus Cardinalis, & Urspergensis Abbas; Illam verò in plurimis provinciis, præsertim in Africa, penitus abrogatam exeunte quarto sæculo, testatur AUGUSTINUS lib. 32. contra Faustum c. 13. Vide DU MESNIL lib. 2. Doctrinæ & Disciplinæ Eccl. §. 45.

(tt) Du
Mefnil. Lib.
2. Doctrinæ.
& disciplinæ
Eccl. §. 46.

(uu) Aſtor.
cit. v. 28.

(xx) Epist.
81. ad Dio-
ſcor Alexand.

(yy) Tacitus
lib. 15. Annal.

tium idea foret. Quæſtio difficilis inter fideles non finè animorum diſiſione controvertitur (tt), conſulitur Eccleſia, Columna veritatis, Apoſtoli cum Senioribus conveniunt, Petrus præſidet, proponit quæſtionem, & prærogativam habet ſuffragii, judicant & alii Apoſtoli, communique conſenſu ex Verbo DEI deciditur quæſtio, decretum ſcripto traditur (uu), ut Divinum oraculum, cujus Author eſſet SPIRITUS Sanctus; quandoquidem affirmare non dubitant: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*, transmittitur ad omnes & Laicos & Presbyteros, quibus ſolæ obedi- tionis partes relinquuntur. Synodo peractâ, Petrus in Palæſtinæ partibus, & Antiochiæ deſudavit, dum, extincto Claudio Cæſare, ſub Nerone liber aditus Romam recluderetur; inde, teſte D. Leone (xx), Mar- cum diſcipulum antè à ſe Sacris initiatum Ægypto ſubmiſit, ubi Alexandria illam collegit Eccleſiam, quæ longo tempore primas honoris vices poſt Ro- manam obtinuit (*). Tandem, cùm Nero, coronata illa bellua, in Chriſticolarum corpora uſque adeò deſæ- viret (yy), ut ferarum tergis conteſti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi in uſum nocturni luminis urerentur, S. Petrus Pontifex, & novelli gregis anima ubique præſens adfuit; vim au- tem omnem in Simonem Magum convertit, cujus præſtigiiæ ovili non exigua fidelium ſtragem pa- rabant.

(*) PETRUS de MARCA lib. 1. de Concordia Sacerd. & Imperii c. 3. §. 6. Juris iſtius (Metropolitici) quaſi poſſeſſione in plerâſque provincias conſpicua erant tres ille Imperii Romani Civitates, Roma Orbis Domina, Alexandria Ægyptiaci Regni Princeps, & Antiochia Regina Orientis, quarum Civitatum Episcopi eximiis privilegiis gaudebant, qua conſuetudine & moribus firmata primùm, poſtea Nicana Synodi decreto ſanctita ſunt. Can. 6. apud Labb, tom. 2. Concil.

rabant. Tanto igitur hoste (zz), ac primo Hæresiar-
 châ, dum dæmonum ope in aëra altius enitebatur, (zz) Arno-
 bius lib. 2. in
 gentes. Eu-
 feb. hist. lib.
 2. c. 14.
 prostrato, Petrus primus CHRISTI Vicarius à Nerone
 in crucem actus Pontificatum cum vita deposuit, la-
 borum & gloriosæ mortis socium nactus S. Paulum,
 (aaa) quorum amborum Sacris tumulis hanc pane- (aaa) Euseb
 lib. 2. c. 24.
 gyrin apposuit S. Chrysostomus (bbb): *Servorum Chri-* (bbb) Homil.
 16. in 2. ad
 Cor.
sti splendida sunt sepulchra, quæ urbem maximè Regiam
occupaverunt; & dies perspicui sunt, diem festum ter-
rarum orbi facientes, non ædificiorum amplitudine &
splendore (hâc enim etiam parte excellunt), sed, quod am-
plius est, convenientium studio. Nam & ille ipse (Im-
perator) purpurâ indutus, peregrè proficiscitur, sepul-
chra illa complexurus, & fastu deposito contingit Sanctos,
rogans, ut sibi apud DEUM patrocinentur; & taberna-
culorum Opificem (Paulum) & Piscatorem (Petrum) pa-
tronos etiam mortuos deprecatur (Imperator) diadema
gestans ()*

VII. Decedente è mortali vita Petro, Ecclesiæ SUCCESSOR PETRI.
 Pontifice suo orbata aliud succedaneum Caput jure
 sibi deposcebat. Nam, cùm portæ inferi non adeò
 valeant, ut eam possint excindere, quin usque ad
 consummationem sæculi constatura Ecclesiæ crescat

E 2

usque

(*) Sicut in laboribus & morte socii fuere, sic & honore sunt per
 Ecclesiam universam; ut patet ex picturis, ubi semper S. Paulus
 S. Petro adjungitur. Irenæus quoque successionem Pontificum Ro-
 manæ Ecclesiæ describens Petro Paulum consociat. Vide MARCAM
 in Dissert. de singulari Primatu Petri. Nicolaus I Pontifex circa an-
 num 860. primus fuit, qui illâ formulâ uti cœpit: *authoritate SS.*
Apostolorum Petri & Pauli, quam deinceps successores Pontifices usur-
 paverunt, cùm aliquid sancirent, aut decernerent: nihilominus
 Petro soli inconcussam semper stetisse jurisdictionis prærogativam,
 latius probat THEOPHILUS RAYNAUDUS in Tractatu de bicipiti
 Ecclesiâ,

(ccc) Pro-
verb. 4. v. 18.

(ddd) Matth.

5. v. 15.

(eee) Cant.

6. v. 3. 9.

(fff) Hebr.

7. v. 23.

usque ad perfectam diem (ccc), ædificetur quotidie ut
civitas (ddd), & instruatur continuo (eee), ut acies
ordinata; operæ pretium fuerit, Illi ejusmodi Ponti-
ficem surrogare, cui conjuncta fidelium communio,
nec in partes divisa, in lucem majorem cresceret, à
quo Architecto & Governatore & extrueretur, &
regeretur: &, si (fff) *plures facti sunt Sacerdotes* juxta
legem Moysis idcirco, quod morte prohiberentur per-
manere, quis non potius dicat, in Petri locum alios
Successores devenisse, in quibus fides Petri, pro
qua CHRISTUS oravit, non deficeret, nec funda-
mentum, cui superstruxerat Ecclesiæ fabricam, col-
laberetur? præsertim, cum Servator juxta sensa I-
gnatii, Patriarchæ Constantinopolitani, beatas illas
voces: *Tu es Petrus* non soli Apostolorum
Principi privatâ quâdam sorte transcripserit, & assi-
gnârit, sed per ipsum ad omnes Romanæ Sedis Pon-
tifices illi successuros transmiserit. Unde & mihi
pluribus disputandum non est, quis Episcopus ex
omni orbe terrarum Petro sit surrogandus. Profectò
Constantinopolis hunc suggerere non potuit, cui
per trecentos annos à CHRISTO Nato nullum Episco-
porum constat præfuisse; non Alexandria, in qua non
Petrus, sed Marcus diem supremum habuit; nec An-
tiochia, quæ, licet septennio toto Petrum Præsulem
agnoverit, non tamen hac in urbe, sed Romæ cum
vita Claves reliquit. Subscribendum proinde est Ca-
noni 6. Nicænæ Synodi: *Ecclesia Romana*, inquit,
semper habuit, Primatum (itâ hunc Canonem adducit
Paschasius in Concilio Calcedon. Actione 16. & vertit
Dionysius Exiguus ante annos mille) & Canon 39. in-
ter Arabicos: *qui tenet Sedem Romæ, Caput & Princeps*
est

est omnium Patriarcharum; cui non absimile est, quod in Chalcedonensi, act. 1. refertur: Pontificem Romanum omnium Ecclesiarum Caput esse, & universalis Ecclesiæ Papam.

VII. Quod posteriorum sæculorum suffragia ELECTIO
PONTIFI-
CIS. confirmant, id antè Petrus iis, quos postremos habuit in vita mortali, diebus nos perdocuit, Clementem Romanum Sacerdotio, & Episcopali Dignitate à se initiatum sibi Successorem (ggg) in conventu fratrum substituendo. Et quanquam à nube testium eam in sententiam nunc adducamur (*), ut non Clementem, sed Linum, pariter Romanum, & cum Petrus Româ interdum abesset, Ejusdem Vicarium, Pontifici primo successisse dicamus; id tamen Divino quodam consilio dispositum esse, nemo non agnoscet, ut hac ratione Ecclesiæ palam fieret, qui modus deinceps in surrogando Capite præstaret. Licet Petrus (verba sunt Ciaconii (hhh), (ggg) Tertull.
de præscript.
c. 36. (hhh) In Vita S. Lini. vid. & Natalis Alexander Hist. Eccl. To. I. Dissert. 13. nec non Petra Cardinalis in Constit. s. Clementis VI. Clementem Successorem sibi designasset; Clemens tamen modestiâ usus, juri suo cessit, & Linus Pontifex Romanus electus fuit. Clemens igitur secundus fuit Petri ordinatione, non Ecclesiæ nominatione, Petri jure, non functione, & administratione, quæ Lino fuit tributa Divino consilio, ne in posteriorum exemplum transfret, Successores sibi eligendi, & libertas ac providentia Ecclesiæ in constitu-

(*) HIERONYMUS quidem in lib. de Viris illustribus c. 15. Tom. 2. scribit: Plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putant fuisse Clementem; per illos Latinos authores intelligit antiquos Catalogos Summorum Pontificum, quorum aliquem S. Hieronymus petiit à S. Damaso, ut exponit BOLLANDUS ad diem 26. Aprilis

tuendo sibi Pastore isto modo fuisset adempta. Optimè enim compertum erat primis illis Christianæ Religionis propagatoribus, si Pontifici liceret sibi designare Successorem, plures in Cathedram Petri subvectum iri, qui Petri vestigia non secuti, revelationem carnis & sanguinis, non Sancti SPIRITUS afflatum attenderent, sicque summum Ecclesiæ Sacerdotium ab ordine Melchisedech in ordinem Aaronis (*) descenderet, nec dignatio cœlestis faceret Antistitem, sed carnalis successio generaret Sacerdotem. Peregrina in Ecclesiæ auribus vox est eorum, qui in templo succlamare præsumpserunt: *hereditate possideamus Sanctuarium DEI* (iii), quod CHRISTUS non Joanni, nec Jacobo, sanguine junctis, sed Petro com-

(iii) Ps. 82.
v. 13.

Tom. 3, alibi tamen S. HIERONYMUS, rejectâ Latinorum sententiâ, suam proponit in lib. cit. pag. 83. *Clemens . . . quartus post Petrum Roma Episcopus: siquidem Secundus Linus fuit, tertius Anastasius; tamen si plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putant fuisse Clementem.* A partibus HIERONYMI stant Epiphanius, Hæres. 27. §. 6. idem sentiunt EUSEBIUS lib. 3. Histor. c. 2. THEODORETUS in epist. 2. ad Timoth. c. 4. S. OPTATUS de Schismate Donatistarum lib. 2. & communiter Recentiores, inter quos PAPERBROCHIUS in suo conatu, Dissert. III. fol. 15. & 16.

(*) In veteri Lege Sacerdotes creabantur successione; nam soli de stirpe Aaron, & descendentes ab eo ad Pontificatum, & Sacerdotium succedebant; Exod. 29. at CHRISTUS ex alia tribu descendit, non ex Levi, cui debebatur Sacerdotium, sed ex Juda, in qua tribu nihil erat de Sacerdotio determinatum: imò ex V. T. figuram quandam eruit HIERONYMUS in C. Moyse 6. VIII. q. 1. *Moyse, ait, amicus DEI, cui facie ad faciem locutus est Dominus, potuit utique successores Principatus filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem, sed extraneus ex alia tribu eligitur, Jesus, scilicet Josue, ut sciremus Principatum in populum non deferendum esse sanguini, sed vita meritis.* Præterea in Melchisedech Sacerdote id præmonstratum est; is quippe nullâ Genealogiâ Patris existente venit in lucem, ut testatur Apostolus ad Hebr. 7. v. 3. & ut ostendatur, quod Sacerdotes fiant, non nascantur. Vide TURRECREMATAM lib. 2. c. 103.

commissum voluit: itaque ii, qui paucissimi, nepotes aut avi (**) in Ecclesiæ fastigio eminuerunt, non, quia ex voluntate viri substituentis, aut ex voluntate carnis, sed quia ex DEO nati, & iudicio suffragantis Cleri comprobati forent, ad supremum Pastoris munus accefferunt. De Bonifacio II. Baronii annales referunt (kkk) eundem, ne Gothorum Reges Italiæ dominantes in jus eligendi Pontificem involarent, Vigiliū Diaconum sibi substituisse; sed brevī facti pœnitens, coactā Synodo, eas, in quēis Successorem scripserat, tabulas (lll) igne exussit, ne facinoris vestigium posteris pateret, quod Patrum Synodi Nicænæ, & Hilarii Pontificis (*) canonibus adversaretur, quēis (mmm) maximè cautum fuerat, ne quis Episcopus sibi eligeret Successorem. Neque tamen S. Petro, aut aliis Pontificibus labem hīc affricamus, propterea quod ii alios sibi Successores constituiſſe perhibeantur; nam de Petro nullus negare ausit, ejus institutionem electioni consentiente Clero comprobatae non absimilem fuisse, quoniam sua consilia in auribus totius Ecclesiæ SPIRITUS Sancti

(kkk) ann. 536

(lll) Pagius in Brev. Rom. Pont. §. 5. ibi.

(mmm) Baron. ad an. 461. §. 14. & Pagius §. 14. in vita Hilarii & refertur in c. 5. Cau. cit. q. 1.

(**) Gregorius M. Atavum habuit Felicem III. seu IV. Stephanus II. & Paulus I. fratres; Benedictus VIII. & Joannes XIX. itidem fratres, alius proximè post alium Pontifices; Benedictus IX. ex fratre nepos Benedicti VIII. Cœlestinus IV. natus Urbani III. sorore; Hadrianus V. fratre Innocentii V. procreatus. His paucos addit Sandini in Vitis Rom. Pont. sub finem, in Indicibus.

(*) PAGIUS §. 5. ait: *Olim in more positum fuerat, ut Episcopi sibi successorem designaret*; ut & BARONIUS testatur ad ann. 426. §. 13. at cum secus fieri cœpisset, quam ut sapientissimi quique deligerentur, interdixit *Nicæna Synodus*. De hac prohibitionē mentionem facit S. AUGUSTINUS epist. 213. alias 110. HILARIUS Pontifex circa ann. 461. Can. §. cavit, ne qui Episcopus sibi eligeret Successorem. BARON. ad eundem annum, & PAGIUS §. 14.

Sancti singulari instinctu protulit (*); quod quidem exemplum tantò minùs jam cæteris Pontificibus sequi fas est, quò magis à Sanctorum Patrum votis nostra abesse dignoscuntur. Si nunc porrò ab aliis Pontificibus scriptos Successores, & Dignitatis hæredes dicis, nobis litem indicere videris: novimus equidem disciplinam quandam in anterioribus sæculis viguisse, quâ Præsides Ecclesiæ ab Electoribus rogati eum indicarent eligendum, quem oneri tanto ferendo parem judicassent: ut verò Antistites tanti in alios potestate suâ Pontificium devolverent, id nemo omnium cogitavit, nemo molitus est unquam. De Lucio I. renunciatur nobis à Baronio (nnn), quòd à Volusiano, Galli Hostiliani Imperatoris filio, primùm exulare, dein gladii supplicium subire jussus, Stephano Archidiacono omnem, quâ pollebat, potestatem permisit; sed modus surrogationis is omnino fuit, quo Petrus Linum, cùm Româ interdum abesset, suû Vicarium, non tamen Pontificem (**) constituit. Gregorius VII. (ooo) triduo ante mortem Desiderium Abbatem Cassinensem, ac S. R. E. Presbyterum Cardinalem nonnisi Electorum suffragiis commendavit, eoquòd præter summam prudentiam, & religionem præcipuam singulari Principum benevo-

(nnn) Ad ann.
257.

(ooo) Baron.
ad ann.
1085.

(*) Ex eo S. Petri exemplo opinatur PETRA Cardinalis, quòd tunc Pontifex legitimâ potestate à prædecessoribus eligatur, cùm Ecclesiæ necessitas, vel evidens utilitas id postulat. Hunc vide ad Const. S. CLEMENTIS VI. n. 10.

(**) PAPEBROCHIUS in Dissert. 3. sui Conatus Hist. ita ait: fateor præterea assertorum ab Henschenio Vicariatuum nullum esse indicium apud antiquos, nisi quoad S. Linum, Clementem, & Cletum... probat tamen dein, & alios Vicarios fuisse.

nevolentiâ & amicitia valeret (**). Gelasius II. (ppp) ex languore virium ad extrema deductus in eam curam potissimum incubuit, ut Virum Cardinalibus designaret, qui servandæ inter tot tempestates naviculæ idoneus esset: Cononem proinde, Prænestinum Episcopum, & siquidem is abnueret, Guidonem Viennensem sufficiens solio ostendit, quod is, secundum visionem ad Pontificatum destinatus, aspexerit in somnis proximâ nocte sibi à persona præpotente lunam sub chlamyde committi, qui & postea electus Callisti II. nomen obtinuit, Author Lateranensis Concilii, & pacis Ecclesiæ sub Henrico Imperatore satis turbatæ Restaurator. Denique Cœlestinus III. (qqq) vim morbi supremi sibi fatalem sentiens Patribus Purpuratis injunxit, ut, se vivo, de Successore eligendo pertractarent; cumque Joannem à S. Paulo Cardinalem proposuisset, paratum se obtulit ad abdicandam Antistitis potestatem, si sibi superstiti Successorem contueri liceret: quisque Cardinalium Pontificis demissioni obstitit, tum, quod inauditum esset, Pontificatu quenquam cessisse, tum, quod geminum

F caput

(ppp) Baron.
ad ann. 1119.
Pagius in
Brev. ad Sæc.
XII. pag. 583.

(qqq) Baron.
ad ann. 1198.
Pagius §. 29.

(**) PAGIUS in Breviario Pontificum ex Paulo Bernridensi c. 109. refert: Rogatus (nempe Gregorius), ut in tanta fidelium perturbatione sibi successorem designaret, trium dedit optionem, videlicet Desiderii Cardinalis, & Abbatis Cœnobii Cassinensis, atque Reverendissimorum Episcoporum, Ottonis Ostiensis (qui postea fuit Pontifex post Desiderium sub nomine Urbani II.) & Hugonis Lugdunensis; Gregorio mortuo, unanimi concordia Episcopi, & Cardinales, & Comprovinciales Episcopi, & Clerus, ac populus Romanus Desiderium, omnibus modis contradicentem, & renitentem, Apostolica Sedi præfecerunt. Eadem habet LEO Ostiensis lib. 3. Chron. Cassinens. c. 72.

(rrr) Cap. 1.
de concessi-
one præbend.

(sss) Can.
Moyfes, cit.

ELECTO-
RES PON-
TIFICIS IN
PRIMÆVIS
SÆCULIS.

(ttt) Tho-
massinus de
Benef. P. 2. lib.
2. c. 3.
(uuu) Episto-
la § 2. ad An-
tonian.

caput eidem imponere corpori nefas foret (*). Cæ-
terum Cœlestini nominatio tantum valuit, ut Joan-
nes ei defuncto sub nomine Innocentii III. surroga-
retur. Ex quibus id juxta mentem Concilii Latera-
nensis concludimus: *Uti turpe, & Divini plenum
animadversione judicii est, si locum in Ecclesia DEI futu-
ræ Successionis expectatio habeat (rrr); ita melior &
aptior methodus ad implendam Petri Cathedram inveniri
non poterat, electione, quâ non sanguini Sacerdotium de-
fertur, sed vitæ (sss).*

IX. A primordiis Ecclesiæ Summum Pontificem
elegerunt Presbyteri & Diaconi Urbis Romæ, qui à
Petro in locum absentium Apostolorum per regio-
nes ejusdem urbis fuerant constituti. Nam, cum Pa-
pa non tantum communis esset Ecclesiæ Hierarcha,
sed & Episcopus Romæ, conveniebat, ut non alius,
quàm Romanus, Clerus in vota iret & suffragia, non
aliter, ac Metropolitam à Clero Metropolis duntaxat
eligi videmus, licet universæ dein provinciæ præfu-
turum (ttt). Neque tamen Clero soli, sed & po-
pulo, primis maximè sæculis, partes quasdam in ele-
ctione Pontificis fuisse, ex S. Cypriano (uuu) didicimus.
Is de Cornelio in Romanam Cathedram evecto ita
scripsit: *Factus est autem Cornelius Episcopus de DEI &
CHRISTI ejus judicio, de Clericorum pene omnium testi-
monio,*

(*) Ante BONIFACII VIII. tempora necdum determinatum erat, pos-
setne Pontifex renunciare Papatui; post renunciationem tamen Cœ-
lestini V. c. 1. de Renunciatione, in 6. statutum videmus, id licere;
quamvis Cœlestinus in hac spontanea abdicatione primus fuerit, &
novissimus; ut loquitur MOSCONIUS P. 1. c. 2. de Maj. milit.
Eccl.

monio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio. Dum autem suffragii jus quoddam populo concessum audis, aliud ne intelligas, quàm genuinum de antea facta eligendi Antistitis vita testimonium; ut in prædictum Cypriani locum notat (xxx) Baronius & dictio suffragii hic approbationem in Jure (yyy) significat. Neque enim Canones aliter unquam plebem in electionis consilium adscivere, quàm, ut vel eligendum nominaret, seu aliquem postularet, quem Clerus judicio deinde suo eligeret (zzz), vel in Electum à Clero consentiret (aaaa); aut, quòd solum populi testimonium de probitate Electi exigeretur (bbbb); ipsum verò judicium, ac eligendi jus nec Canones (*), nec Patres populo consignatum voluerunt (**).

(xxx) Ad ann.
254.

(yyy) Natalis Alexander
Hist. Eccl.
Sæc. I. Diff.
fert. 8.

(zzz) C. 1.
Diff. 62.

(aaaa) C. 12.
Diff. 63.

(bbbb) C. 27.
bid.

X. Hæc ratione in quartum usque sæculum eligendi libertas integra penes Clerum & populum stetit,

F 2

NEGOTIO
ELECTIONIS
IMPERATO-
RUM
SE IM-
MISCENT.

(*) Concilium Sardicense adversus Episcopos commigrantes Can. 1. & 2. ita statuit: *si quis adeo infans & audax reperiatur, ut excuset, quòd populi literas acceperit, clarum est, potuisse paucos aliquos mercede & pretio corruptos in Ecclesia seditionem movere, ut eundem utique postulent Episcopum; cui tamen postulationi Concilium vetat assentiri.* Veteris Ecclesiæ est Concilium Laodicenum, ubi Can. 13. legitur, quòd non sit permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium promovendi, multò minùs Pontificum. Eandem auctoritatem habet Concilium Antiochenum sub Julio, cujus Canon 18. solum populi assensum requirit: *Si quis ordinatus non sit in paræciam, ad quam ordinatus est, non suâ quidem culpâ, sed propter populi recusationem, vel aliam aliquam causam.* . . . Secundi Concilii Nicæni Canon 3. ita statuit: *Omnem electionem, quæ fit à Magistratibus, Episcopis vel Presbyteris vel Diaconis, irritam manere: oportet enim, qui promovendus est ad Episcopatum, ab Episcopis eligi.*

(**) Cyprianus, quem pro se allegant AA, populo ferendi tantum testimonii

tit, hic quidem ut consentiret, ille eligeret; donec sub annum 366. Imperator Valentinianus operam quoque suam huic sacro negotio interposuit, quando, exorto schismate Damasum Pontificem inter, & Ursicinum, Romanæ Ecclesiæ Diaconum, solii Pontificii ambitiosum competitorem, Patres in Synodo Romana congregati opem Valentiniani I. implorârunt, ut Damasi Pontificis electionem salvam vellet, tótque cædes (in sola enim Basilica Sicini septem supra centum cadavera reperta fuerunt (cccc)) prohiberet; componendæ itaque seditionis causâ Augustus Electionem Damasi ratam habuit, expulso ab usurpata Sede Ursicino (dddd). Verùm cùm, Valentiniano sub annum 378. defuncto, Diaconus idem in Sedem sanctam grassaretur, Synodus Romana supplicibus literis ad Gratianum Imperatorem convolat, electionem Damasi ut tueretur, rogat (*); quod pius Cæsar ità præstitit, ut, proscripto in Gallias

(cccc) Rufinus Hist. lib. 1. c. 20. Marcellinus lib. 27.

(dddd) Sozom. lib. 4. c. 11. Baron. ad ann. 367. Pagius §. 8.

monii potestatem assignat, non suffragii, epistolâ cõg. : quod & ipsa videmus de Divina authoritate descendere, ut Sacerdos plebe præsentē sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio & testimonio comprobetur; sicut in Numeris Dominus Moyse præcipit, . . id est, instruit, & ostendit, ordinationes Sacerdotales nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsentē vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur; & sit ordinatio legitima, qua omnium suffragio & iudicio fuerit examinata . . . propter quod diligenter de Traditione Divinâ, & Apostolicâ observatione observandum est, & tenendum . . . ut Episcopus plebe præsentē deligatur, qua singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perpexit.

(*)Imperatori Gratiano supplicaverunt quoque Patres Concilii Aquilejensis, anno 381. Præsidente S. Ambrosio, Mediolanensi Episcopo, cele-

lias Ursicino, legem tulerit, quâ dein schismaticorum molitiones fortius cohiberentur.

Plus autoritatis in ordinando Ecclesiæ Capite sibi sumpsit Imperator Honorius. Sub annum 419. gliscente novo Bonifacium I. inter, & Eulalium schismate, Symmachus, Urbis Præfectus, Eulalii partium patronus, Cæsari Ravennam scribit, hunc, licet à minore parte Cleri acceptus fuisset, omnium suffragiis ad Pontificiam Sedem deposci, remque literis significat adulatione & mendacio plenis, tum eâ verborum formulâ, quâ totum jus sacrorum Augusto visus est tribuisse (*). Honorius à mendaci epistola circumventus Bonifacium, legitimum Pontificem, urbe exesse jubet; sed à Clero veriora nunciante mitigatus, utrumque, & Eulalium, & Bonifacium Ravennam ad dicendam in Concilio causam arcessit: Eulalius, contempto Augusti mandato, in Urbem remeat, totâque controversiam audaci facinore dirimit; unde offensus Imperator Eulalio protinus ex-

F 3

lium,

celebrati; epistola, quâ Imperatores obsecrant, ne Ursicino faciles aures præbeant, extat Tom. 2. Concil. ubi & epistola habetur SYNODI ROM. sub Damaso, cum rescripto GRATIANI Augusti.

(*) Literæ SYMMACHI à Baronio ad annum 418. referuntur, quæ ille schismatis fautor talia inseruit, quæ irritò conatu jam velut fundamentum Cæsareorum jurium allegant: *quoniam* (scribebat ad Honorium) *pietatis vestra est, de hac parte ferre judicium, statim pro competenti sollicitudine vestram Majestatem credidi consulendam, ut, quod de hac parte pietas vestra decernat, præcepto vestri Numinis evidenter informet.* Ex hoc Bonifacium inter & Eulalium dissidio factum putat AUTHOR Criticæ BARONIANÆ, ut primùm Honorius, deinde Italiæ Reges alii aliis temporibus sese Romani Pontificis electioni immiscuerint; quod malum à parvis profectum initiis in grande Romanæ Ecclesiæ dedecus postea degeneravit, Vide FRANCISCUM PAGIUM in Vita Bonifacii §. 3.

lium, Bonifacio Sedem sanctam decernit, adjectâ Sanctione publicâ, ut, si imposterum duo sese in Sede Apostolica confovere certarent, neuter illorum esset Papa, sed novâ electione communi consensu tertius eligeretur (*).

(eeee) Can. I.
Dist. 96. Si-
gonius de
Imp. Occid.
lib. 25.

Odoacer post Augustulum summam rerum in Italia consecutus, homo Arianus, circa annum 476. per Basilium Præfectum edicto cavit, *ne novus Pontifex absque suo consensu eligeretur* (eeee); atque, ut sancti crimen purgaret, se aiebat ad hanc constitutionem à Pontifice Simplicio adauctum, qui ejusmodi medelam ad obstruendos in deligendo Successore strepitus, ac dissensiones, cum in extremis versaretur, exorâisset. Non diu tenuit hæc lex; quin eam ut injustam averfata Synodus Romana Sanctiorem longè salubriorem opposuit: *ne in Pontificis electione laicorum præsumptio, utut Regiâ fulciretur potentia, locum quenquam sortiretur* (**).

(ffff) Theo-
dorus Lector
lib. 2. Hist.
Eccl.

Gravius sub Theodorico, Gothorum & Italiæ Rege, periculum subiit libertas eligendi Pontificem, circa annum 498.: decertabat Pontifex Symmachus cum intruso æmulo Laurentio (ffff), quæ partium acerbitas cum desiisset in populi cædes, & apertas Cleri

(*) BONIFACIUS Ecclesiæ paci prospicere volens, ab Honorio constitutionem obtinuisse videtur, ut ait PAGIUS §. 9. cum Prosper contra Collatorem c. 41. scribat: *Sancta memoria Bonifacius piissimorum Imperatorum Catholica devotione gaudebat, & contra inimicos gratia DEI non solum Apostolicis, sed etiam Regiis utebatur edictis*. Hujus Constitutionis meminit ipse HONORIUS in Epist. V. Idus Junias Ravennæ ad Aurelium Carthaginensem Episcopum datâ.

(**) SYNODI ROMANÆ Acta quidem non extant; ea tamen summatim recenset ANASTASIUS in Vita Bonifacii III.

Cleri discordias; competitores Pontificatûs, conventionem factâ, Ravennæ ad tribunal Theodorici, Arianæ cultoris, sententiam operiri constituunt. Judicat homo alienæ fidei de DEI Sanctuario, &, quod mirrere, verum Præsidi jus & causam addicit; ex quo facto brevî in illam servitutem compacta est Ecclesia, ut, extincto Joanne Papâ, Felicem IV. Clero, Senatui, populoque Romano summo cum imperio obtulerit: ab obnitentibus bonis id solum effici potuit, ut mitiore lege statueretur, Pontificem deinceps more pristino eligendum esse à Clero, à Rege autem numeratâ certâ pecuniæ summâ confirmandum (gggg); (*gggg*) Oidoin, ad Ciaconium in addit. Pagius §. 1.

(*) quæ ratio creandi Pontificem sub Gothorum imperio semper prolata, imò etiam exacerbata magis est tunc, cum Theodatus Rex, muneribus corruptus, Silverium objiceret, eâ comminatione factâ, ut, nisi Clerus ei vota deferret, eique, quem ode- rant, subscriberet, supplicium gladii (hhhh) parerentur. (*hhhh*) Anastasius in Ejus vita.

Quam sibi potestatem in electione Pontificum per vim arrogaverant Arianæ Italiae Reges, eandem jure quodam, ut agebat, suo vindicabat Justinianus, Imperator Catholicus. Propositum nimirum ei fuerat, Papam nullum ad Sedem admittere, nisi, quem pro-

(*) FRANCISCUS PAGIUS id testatur in vita Felicis IV. §. 1. certa pecunia summa pro confirmatione imperata non tantum Romano Pontifici, sed etiam omnibus Episcopis, qui sub Gothorum ditione in Italiagebant, quæ in pauperes erogaretur, ut innuit Athalaricus, Theodorici nepos, ac Successor in suo Edicto adversus Simoniacos, apud CASSIODORUM, lib. 9. epist. 15. Eam creandi Pontificis Romani rationem obtinuisse toto tempore Gothorum, confirmat BARONIUS ad ann. 526.

(iiii) Bzo-
vius de Rom.
Pontif. c. 2.
Thomassinus
P. 2, l. 2, c. 16.
n. 5. & seq.

probâisset ipse, aut ejus Exarchus, sive Apocrisarius (*): cautum sibi hâc ratione volebat, nequîs Pontificum contra aulæ Byzantinæ jussa supremam Sacrorum Præfecturam aggressus moliretur aliquid, quo Italia, quam per Ducem Narsetem Justinianus paulò antè è Gothorum manibus extorserat, in discrimen conjiceretur: atque hoc quidem ferendum putâisset tunc Ecclesia, nisi adeò eâdem tempestate libertas jam accisa, vix non omninò oppressa fuisset, dum nomine facultatis Pontifici, ut consecraretur, per diploma concessæ, certa pecuniæ summa(**) imperata fuisset (iiii). Quem statum, & pro more solvi solitum censum ubi Gregorius Magnus Mauritio persolvere cogeretur, sæpiùs illa verba, quæ in Psalmum quintum commentatus fuerat, non sinè cordis amaritudine ingeminavit: *Domina Genitum, & Regina*

(*) Exarchorum potestati, quæ maligno usu, aut indulgentiâ Cæsarium invaluerat, confirmationem ex parte concessam fuisse, probat PAPEBROCHIUS in Con. Histor. pag. 116. ex ea formula, quâ peti solebat confirmatio: *cui socius Clerus, Optimates, & milites, seu sivos subscribebant.*

(**) Pensum illud pecuniarium vocatur à JUSTINIANO, Novella 123, c. 3. *ἐν ᾧ ἡ ἐπίσκοπος*, quod Episcopi recens ordinati dare cogebantur ex ratione Throni, seu Cathedræ acquisitæ; quare etiam nomine Cathedralitici ea pecuniæ quantitas veniebat, quamvis minùs propriè; nam Cathedraliticum pensio erat, quæ Episcopo ab Ecclesiis quot annis exsolvi debebat *in signum subjectionis*, ut est in Concil. Braccaren. ll. c. 2. *pro respectu Sedis*, ut in Concilio Ravennensi, anno 597, c. 2., quæ pensio in iisdem Conciliis ad duos solidos restringebatur. Vide Du CANGE in Glossario. Cæterum quantitatem, nomine Inthronistici exactam, ipse Imperator in cit. Novella definit: *jubemus igitur Beatissimos Archiepiscopos, & Patriarchas, hoc est, senioris Roma . . . siquidem consuetudo habet Episcopis, & Clericis in eorum ordinatione non minus, quàm viginti auri libras dari, ipsa solummodò præberi . . .* Vide PETRUM de MARCA de Concord. Sacerd. & Imper. lib. 4. c. 10, §. 3. 4. 5.

Regina Provinciarum (Ecclesia) facta est sub tributo !
 Ejusmodi exactionum præstatione usque ad tempora
 Agathonis diu toleratâ liberavit Pontifices Constan-
 tinus Pogonatus, Heraclii pronepos, quin altera
 Sanctio abrogaretur ; quâ, nisi Imperatore jubente,
 Pontifices consecrare non licebat (kkkk). Sed ab
 hoc quoque iugo respirare datum est post aliquot
 annos sub eodem adhuc Imperii Moderatore, qui,
 velut novus Ecclesiasticæ libertatis vindex, datis li-
 teris constituit, ut futuris temporibus, quem Cle-
 rus, populûsque Romanus Pontificem elegisset, is,
 nullâ aliâ Imperatoris electione expectatâ, more an-
 tiquo statim Pontifex crearetur (llll). De tam am-
 pla libertate subinde aliquid decerptum est à Pogo-
 nati filio, Justiniano II. qui id suo existimato juri dari
 saltem præcepit, ut confirmatio Pontificum, quæ ab Im-
 peratoribus flagitata fuisset, ab Exarcho Ravennæ pete-
 retur ; quare sub annum 686. Cononis Papæ electionem
 ad Theodoricum Exarchum missam fuisse legimus. Et
 quidem, (*) *ut mos est*, inquit Anastasius. Neque hoc se
 iugo subducere licuit, quàm, cum, prævalentibus in Ita-

(kkkk) C. 21.
 Dist. 63.

(llll) Ana-
 stasius in Vita
 Benedicti II.
 circa annum
 685.

G

lia

(*) MABILLONIUS in Comment. in Ord. Romanum §. 17. ex opere
 MS. ONUPHRII PANVINII scribit : *Gothis Italia ditioe à Narsete o-*
mnino exactis, Italiæque cum Urbe Roma in Orientis Imperii portionem reda-
ctâ, signior fuit in electione Papa mutatio usque ad Carolum M. in Mortuo
Pontifice, Sedis Apostolica vacantis cura tribus præcipuis Cleri Ministris com-
mittebatur, scilicet Archiepiscopo, Archidiacono, & Primicerio Notario-
rum ; ab his quamprimum de morte Papa nuntium significabatur Exarcho,
quem, Gothis pulsus, Ravenna instituerat Imperator. Post iusta Defuncto per-
soluta, exactumque tridui jejunium, de eligendo Pontifice tractabatur : huic
electioni intererant Clerus, Optimates, populus, & milites . . . de electione
mox referebatur ad Imperatorem, à quo petebatur, expectabaturque facta
Electiois approbatio ; de ea item scribebatur ad Exarchum, ad Iudices, Ar-
chiepiscopum, & Apocrisarium Ravenna, ut electioni faverent. . . .

(mmmm) An-
no 741.

MODUS
ELECTIO-
NIS POST
SÆCULUM
VIII.

(nnnn) Lib. 5.
c. 13. Hier-
arch. Eccl.

lia Longobardis, & accisâ Exarchi autoritate, Zacharias (mmmm) post obitum Gregorii III. electus, & citra assensum Exarchi consecratus fuit; quæ libertatis vindicatæ ratio dein in Successores transiit (*).

XI. Excepisset fortunata hæc Zachariæ tempora malignior ætas, si ea, quæ de sæculo VIII. sua in Historia Sigebertus prodidit, apud posteros fidem mererentur. Nam, quæ Ariani Reges tyrannide, Justinianus vi, resistente Ecclesiâ, adversantibus Pontificibus usurpârunt, Hadrianus Papa, cogente nemine, in publica Synodo, animo liberali Carolo M. & sponte suâ obtulisse fertur, scilicet, ut vacante Sede potestatem haberet, eum, quem liberet, Pontificem Petri Cathedræ imponendi; neque tantum in annalibus, sed & Parisiis insolentis, & à sæculis inauditi privilegii diploma in Thesauro Regio, velut gemmam, asservari, ait Pighius (nnnn); ex quo vel simili fonte coævus Sigeberti Gratianus desumpsisse videtur celebratum toties Canonem: *Hadrianus*, & primæ parti Decreti insertum (**). Verum & Synodum & Canonem Synodi conficta esse, nobis haudqua-

(*) Vide PAPEBROCHIIUM in Con. Chron. p. 116. item PAGIUM ad annum 555, n. 11. ubi contra Mabillonium ait: *Regnante Pipino, Francorum Rege, Ecclesiam ab illa servitute liberatam fuisse, licet, Ludovico Imperante, mos ille in pristinum statum restitutus fuerit, & Pontificum Romanorum ordinatio coram Legatis Cesareis iterum peracta.*

(**) Dist. 63, in verb. *Hadrianus Pont.* cum universa Synodo tradiderunt Carolo jus, & potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam eandem: dignitatem quoque Patriciatûs ei concesserunt. Insuper Archiepiscopos, & Episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere diffinivit; ut, nisi à Rege laudetur, & investitur Episcopus, à nemine consecratur; & quicumque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum inmodavit. Quæ verba RICOBALDUS, Ferrariensis Historicus, ex SIGEBERTI Chronico ad annum 773. dein etiam GRATIANUS, descripsere.

quaquam difficile erit ostendere. Silentium ætate æqualium Scriptorum invicto semper argumento fuit, ut, quod posteriores multis sæculis Historiographi de re quadam adjiciunt, suspitione falsi non careat. Excutias nunc omnes coævus, præcipuè Eginhardum, qui, Carolo M. à secretis, ejusdem facta, & res gestas singulari sollicitudine notavit; nil uspiam de hoc Privilegio ab Hadriano Pontifice concessio reperies; &, siquidem Diploma genuinum extaret, aut veram, in qua procusum fuisset, Synodum unquam celebrasset, quâ ratione id diligentem calammum Anastasii Bibliothecarii subterfugisset? cur Baronius, accuratus antiquitatis indagator, nullibi vestigium in tot scriniis, quæ ei patebant, invenisset? nisi fortè Siegbertum, Monachum Gemblacensem, tantis viris oculatiorem suspicamur, qui & tribus sæculis ætate Caroli M. posterior, & à partibus Henrici, Investiturarum jus sibi deposcentis contra Pontificem, schismatis fautor stetit; ex quo cùm fidem hac in re amittere meretur, tum certè Florus hic magis suspiciendus est, qui tempore Caroli Calvi in fragmentis Historicis scriptum id nobis reliquit: *Desiderio Longobardorum Rege ex Italia expulso, electionem apud Clerum permansisse ad Leonem VIII. usque, quæ & hodie Ecclesiastica adhucdum viget Disciplina* (oooo). (oooo) Thomassin, de Benef. P. 2. l. 2. c. 20. &c. Accedit, quòd ab Historiographis, & Critices peritis palàm fiat, Hadrianum Carolo petenti, ut Episcopi Ravennatensis Electio non fieret absque Missorum Regionum præsentia, id omnino Pontificem abnuisse, eoquòd id consuetudini repugnaret. Quare à Gratiani Decreto, cui multa incautiùs inseruit (pppp), (pppp) Baron, ad ann. 774. N. 10. Marca de Concord, lib. 5, c. 12. adeo non persuademur, ut potiùs statuamus, eum

Antistitem, qui Imperatoris preces in re etiam minoris momenti, propterea quòd Ecclesiæ noxia foret, respuit, plus, & quasi perpetuum libertatis Ecclesiasticæ exitium concedere minimè potuisse (*).

Superstes parenti Augusto Carolo Ludovicus filius sanxit, ut libera omnino esset electio Pontificis penes Romanos (**): confirmavit idem Lotharius Imperator anno 824. (**); eam tamen conditionem Ludovicus apposuerat, ut electus & initiatus Sacris Pontifex, missis ad Imperatorem Legatis, Electionem suâ nunciaret (****); quanquam istiusmodi Sanctionem generoso ausu aboleverit Hadrianus III. anno

(*) SIGEBERTUS ad ann. 773. dum existimatam collationem potestatis CAROLO factæ describit, addit, *Carolus ab obsidione Papiæ in paschate Romam venisse; inde reversum ad Papiæ obsidionem, captâ demum urbe, deditoque Desidario, iterum Romam repetiisse, ubi cum Hadriano Papâ celebrasset Synodum 153. Episcoporum, & Abbatum, accepisseque potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam Sedem ab universa Synodo: Verùm Carolus postridie Idus Augusti Laurisheimensis Ecclesiæ dedicationi in Germania interfuit; incredibile autem videtur, quomodo intra pascha (quod in Aprilem incidit) & Augustum mensem gemina illa Romana profectio, expugnatio Papiæ, Regni Longobardici ordinatio, Concilii convocatio, & tot Antistitem è remotioribus fortè partibus confluxus, reditus denique in Germaniam tzm brevi temporis spatio fieri potuerint.*

(**) Verba, quibus libertas hæc in donatione LUDOVICI Romanis conceditur apud COLETUM Concil. Tom. 9. pag. 607. habentur.

(***) LOTHARII Imperatoris, consortis LUDOVICI, Constitutio anno 824. descripta est apud eundem COLETUM pag. 649. ubi c. 3. ita statuit: *In Electione autem Romani Pontificis nullus, siue liber, siue servus, presumat aliquod impedimentum facere; sed illi solummodo Romani, quibus antiquitus concessum est constitutione SS. Patrum, sibi eligant Pontificem. Quodsi quis contra hanc nostram constitutionem facere præsumperit, exilio tradatur.*

(****) Apud cit. Colet. LUDOVICUS sancit: & cum consecratus (Pontifex) fuerit, Legati ad nos, vel successores nostros Reges Francorum dirigantur. . . . sicut temporibus pia recordationis Caroli (Martelli), avi nostri, siue D. Pipini avi nostri, vel & Caroli Imperatoris genitoris consuetudo erat faciendi.

no 884. dum lege contrariâ vetuit, ne in creando, vel consecrando Pontifice Imperatoris autoritas expectaretur (*).

Initia sæculi decimi, sive, ut Baronius (qqqq) loquitur, *ferrei*, etsi non parùm molesta Ecclesiæ dici deberent, cum aut Regulorum Italiæ adjumentis, aut sordidissimorum hominum machinationibus ii in Sedem Apostolicam succederent, qui non debuissent; labefactatam tamen tunc eligendi libertatem omnem dicere non possumus, eoquod viros, probrosæ licet vitæ, in Fide tamen Christiana nihilominus constantes, neque ullâ hæreseos labe infectos sustinuit Clerus Romanus suo accedente potius consensu eligere, quàm Ecclesiam turpissimo schismate, & tunicam CHRISTI inconsutilem conscindere (rrrr).

(qqqq) Ad
annum 900.

Sub annum 962. Otto I. Rex Germaniæ, à Joanne XII. Romanorum Imperator coronatus, decrevit denovo, ut Electio in præsentia Legatorum fieret: intra hos conatus ejus consilia non steterunt, sed, exauthorato eodem, à quo coronam acceperat, Pontifice, Leonem VIII. propriâ autoritate suffecit; qui fictitius Præsul, postquàm sacrilegâ temeritate jus eligendi Pontificem in Ottonem transtulisset (**), ægrè-

(rrrr) Bzo-
vius de Pont.
Rom. c. 2.

G 3

à Suc-

(*) Refert hoc Ciaconius in vita HADRIANI III. : Hac fortitudine usus jam fuerat Clerus in electione HADRIANI II. : vehementer enim dolentibus Ludovici Legatis, qui tunc Romæ degebant, quod nec ad supremam electionem invitati fuissent, ingenuè à Clero eisdem fuit responsum : *Quod non causâ contemptus Augusti, sed futuri temporis prospectu hoc commissum fuerat, ne videlicet Legatos Principum in electionem Romanorum Prasulum expectandi mos per hujusmodi foamitem inolefceret.* Legitur idem in Can. 29. Dist. 63.

(**) BARONIUS conatur latè ostendere ad annum 963. & seq. Constitutionem Leonis confictam esse; sed, quidquid sit de ejus veritate,

BRIE-

(ssss) Anno
1059.

(tttt) Can. I.
Dist. 23.

à Successorum manibus, & animis illud repeti potuit. Nicolaus II. ut tot malis modus aliquis poneretur, primus omnium methodum seu formam præscripsit (ssss) in Concilio Lateranensi, quâ solùm Cardinales Episcopi Papæ eligendi facultatem obtinerent, accedente tamen & Cleri, & populi consensu, ac salvo honore, & reverentiâ Imperatoris (tttt); quâ ratione electum subinde novimus Gregorium VII. strenuum illum Ecclesiasticorum Jurium Vindicem, tum complures Ejus Successores.

(uuuu) Cap. 6.
de Elect.

Sub Henrico V. Imperatore novum lethale vulnus accepisset libertas Electorum, nisi Paschalis II. iniquas pactiones, in quas vinculis detentus jurare coactus fuerat, juri suo redditus, dissimulante Augusto, revocasset (*). Itaque Ecclesia respirare tunc omnino visa est, cujus pax ne deinceps schismate funesto rursus convelleretur, Alexander III. in Synodo Lateranensi statuit (uuuu), quòd tunc demum Canonice electus Papa censeretur, ubi duæ sacri Collegii Cardinalium partes consensissent (**). Tam salubri & per-

BRIETIUS ad cit. annum merito scribit: *qua autem à Leone concessa sunt Imperatoribus, tantum habent ponderis, quantum ejus valet autoritas, cujus vis & externa violentia tribuit auctoritatem.*

(*) HENRICUS V. Imperator, Romam incendere minitans, à PASCHALE II. in vinculis contra Sacramentum ab eo retento, pactiones libertati eligendi Pontificem etiam præjudiciales ad pontem salarium extorsit; Paschalis verò hoc medio libertati donatus, contra Synodo apud Lateranum, omnia, quæ Henrico promiserat, revocavit; cum coactus, non libens, armis, non rationibus assensum præstirisset, instantibus Cardinalibus captivus, populoque Romano, qui ab Henrico bello vexabatur, ut quavis conditione pacem componeret. Cui revocationi nec ipse Henricus, minis cælestibus territus, refragari ausus est. Ità PETRA CARDINALIS ad Constit. 5. CLEMENSIS VI. & CIACONIUS in vita PASCHALIS II.

(**) Ante ALEXANDRUM NICOLAUS II. anno 1059. in Concilio Lateranensi statuit, ut solùm Cardinales Episcopi præduces sint in electione

& perpetuæ Constitutioni id, quod adhuc desiderabatur, medium adjectum est, quo caveretur, ne comitia Cardinalium Electorum magno totius Christianæ Reipublicæ malo longius protraherentur; mortuo namque Clemente IV. cum ob 17. Cardinalium (is numerus Electorum tunc fuerat,) diuturnam discordiam Sedes duobus integris annis, & novem mensibus vacasset, Gregorius tandem electus, in Concilio Lugdunensi statuendum putavit Sacri Conclavis usum, cui Cardinales arctius inclusi, & à communione hominum, tum quibusvis negotiis sejuncti, parsimoniâ victûs, & loci angustiis ad accelerandam Capituli Ecclesiæ electionem permoverentur (*).

XII.

ctione Pontificis, & penes ipsos sit summa autoritas conclusionis: reliquis autem Cardinalibus, Clero, populoque Romano remaneret duntaxat electioni ab ipsis factæ consentire; ut refertur Can. 1. 1. cit. Dist. 23. Quæ autem potissimum causa fuerit, cur ad Cardinales devolveretur electio, eas vide apud PETRAM CARD. ad Constit. un. JOANNIS XV. populitamen acclamationes, petitiones, atque applausus non excludebantur. Patet in electione GREGORII VII. relatâ ab Anastasio: *Diaconus dixit: placetne vobis? responderunt: placet. Subjunxit iterum: vultis eum? responderunt: volumus; & tertio: laudatis eum? laudamus, omnes responderunt: tunc ab omnibus Clericis, & populo acclamatum fuit: Gregorium Papam S. PETRUS eligit.*

(*) Locus Conclavis est in civitate: si fuerit Romæ, in ædibus ipsius Pontificis apud S. Petrum, in Capella, quæ Paulina nuncupatur; si extrâ, in ædibus Episcopalibus illius civitatis, vel alibi, arbitrio Cardinalium magis apto. Itâ Ceremoniale Roman. lib. 1. Tit. 1. Cardinales post decem dies ad locum determinatum se congregare tenentur, & in Conclavi reclusi, collegialiter de Papæ electione tractare, cap. 3. §. 1. & 3. de Elect. in 6. *Cardinales . . . contenti singuli singulis tantummodo servientibus Clericis, vel laicis, prout duxerint eligendum. Illis tamen, quibus patens necessitas suggerit indulgeri, duos habere permittimus. Itâ in Concil. Lugdun. Quo sit post tres dies, in clausura existentes, Papam eligere non curaverint, spatio quinque dierum immediatè sequentium, singulis diebus tam in prandio, quam*

XII. Atque hæc est vicissitudo illa, & forma Electionis Pontificiæ, toties ab Imperatoribus impugnata; in qua Electores sacri nil agunt, quam ut personam tantummodo designent, cui CHRISTUS ipse
 (xxxx) Can. 3. Dist. 63. Claves deinde conferat (xxxx); unde, licet confirmatione hic opus non sit, sed electus jam plenâ gaudeat potestate, actus tamen Consecrationis, sive Coronationis Electioni subjungitur. Cum enim duplici Regalis Sacerdotii fulgeat dignitate, ut Summum Sacerdotem consecrari, ut Regem coronari decet; quæ verbis illis insinuantur, quæ Consecrator in solenni inauguratione profert: *Ego Te inungo in Pontificem Urbis, & Orbis* (yyyy). Sunt etiam quædam consuetudines, ac ritus, qui Pontificem electum à coronato discernunt: nam, susceptâ coronatione, non se Episcopum electum, sed duntaxat Episcopum subscrit, Pontificatûs annum à die coronationis apponit, &, qui antè mediâ nonnisi Bullâ utebatur, coronatus integram adhibet (*); interdum etiam nomen

(yyyy) Cyprianus in Re-
 pet. Can. 3.
 Dist. 79. a. 3.

in cæna uno ferculo illis tantum vesci conceditur: ut ibid. Si post hujusmodi provisiones nec intra dictum tempus Pontifex eligeretur, de ordine dicti Concilii ministratur eisdem tantum panis & vinum, donec provisio subsequatur. Præterea GREGORIUS X. statuit, ut in eodem Palatio, in quo Electio erat celebranda, unum Conclave, nullo intermedio pariete, seu alio velamine, omnes intercluderet Cardinales, & ibi inhabitarent in communi &c. Cæterum Conclave dicitur, quia pluribus clavibus clauditur; quapropter in principio aulæ ferreis vectibus quatuor munitur, in medio habet porticulam, quâ esculenta, & poculenta clausis Patribus subministrantur . . . Hæc MOSCONIUS de Maj. militant. Ecclesiæ P. 1. c. 2.

(*) Juris hoc est merè Ceremonialis. Nam, si quis ex hoc capite Litteras Apostolicas impugnare præsumeret, quasi Pontifex ante suscepta, à CARDINALE HOSTIENSI, DECANO, tanquam à Metropolitano, aut alio designato, Pontificatûs Insignia nec dispensare, nec providere posset,

men mutat (*), ac Lateranensis Ecclesiæ possessionem nanciscitur (**).

H

SE-

posset, incurreret excommunicationem latam à CLEMENTE V. in Extravag. 4. de Sent. Excomm. inter communes.

(*) Sicut PETRO mutatum nomen fuit à Domino, ita Pontifices solent aliud nomen admittere, ut ex ipsa commutatione nominis Sacramenti energia commendetur. Primum, qui nomen mutavit, extitisse dicunt Sergium II. ad fugiendam nominis indecoram notam, qui antea os porci appellabatur. PANVINIUS in annot. ad Platinam de Sergio ita dixit: *qua hic Platina ex Martino tradidit, Sergium II. primum fuisse, qui nomen mutaverit, apud neminem veterum Authorum inveniri, imò ex ANASTASIO BIBLIOTHECARIO, qui hoc tempore vixit, contrarium magis elicitur, cum multò etiam ante Pontificatum Sergium vocatum fuisse constet. Fortè Sergii prænomen semper habuit, os porci verò cognomen . . . Jeannem ergo XII. primum inveniri, qui priscum nomen Papa creatus mutaverit, cum ante Pontificatum Othavianus diceretur: Quam consuetudinem deinde in legem perpetuam Pontifices altioribus ex rationibus transtulerunt. Vide MOSCONIUM p. 1. c. 3.*

(**) ONUPHRIUS de præcipuis Urbis Romæ Basilicis c. 1. ait: *illud igitur ante omnia scitu dignum, Romæ s. Basilicas fuisse, quæ Patriarchales etiam Ecclesiæ vocatae sunt . . . hæc fuere S. Joannis, S. Petri, S. Pauli, S. Mariae majoris, S. Laurentii.* GREGORIUS IX. in Epistola quadam scribit, illam B. Petri Apostoli, *ut tempore omnibus priorem, ita etiam honoris dignitate præstantiorem esse.* ANACLETUS instituit postea, ut reliqui Episcopi Romani eo loci sepulturæ traderentur; *ubi fuit Petrus cruci affixus . . . Basilica autem Lateranensis, aliàs S. Salvatoris, principem locum intra urbem aliquando obtinuit; ipsa enim fuit Romanorum Pontificum Sedes, ubi ipsi in Patriarchio juxta eandem Ecclesiam fabricato mille annis permansere à S. Sylvestro, qui primus id condidit, usque ad Clementis Papæ V. Pontificatum, qui Romanam Curiam in Galliam transvexit. . . . Gregorius XI. qui Romam Petri Sedem ex Avenione reduxit, & qui ei successerunt . . . nequaquam amplius in Lateranensi, sed in Patriarchio prope S. Petrum in Vaticano perpetuam Sedem fixere. . . . in die consecrationis tamen adhuc hodie illa olim primaria Ecclesia celebratur . . .*

R. P. DAUDE M. H. Pars, I.